



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Lvcia V. & M. 13. Decembris

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

avarum animum nullis precibus expugnare civis indigens posset; SPIRIDION huic disertis verbis in crastinum annonam spondit. Neque aliter factum quam dictum, Aquarum alluvio avectum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In fures etiam non minus beneficus quam comis fuit. Nempe cum gregem hi direpturi advenissent, arcana Numinis vis ligatos omnes SPIRIDIONI tradidisset, exsolvit hic officiosus, & vix comitem abeuntibus ultrò ambulare arietè iussit. Porro filiam, quam, dum olim in matrimonio ageret, sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumultu evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam, cum hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cum in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros cælo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, alii denique canescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, postquam illum laudibus omnis ætatis homines mactaturi essent. Tu etiam disce hinc non senes modò, sed & juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

Totum quod es, illi debes. à quo totum habes, illi precipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi. Huic totis medullis, totis viribus serviendum: ne fortè indignationis oculo te respiciat & despicat, & comerat in æternum. S. Bern. de Quadrupl. debito.

S. LVCIA V. & M. 13. Decembris.

Si virgo è cælo sidus lucet, LVCIAM esse credidero virginittatis laude præ aliis illustrem. Hæc dum cum matre ægrâ ad tumbam D. Agathæ prece-

precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis primò nuntium matri ferens, tum LVCIAE mortis optatissimæ & pro Christo subeundæ. Sic igitur moritura LVCIA omnium primò testamentum cogitat, & pæuperes non jam scribit, sed facit heredes. Id enimverò non ferendum ratus LVCIA sponsus, queritur apud iudicem, & sponsæ dotem sibi clamat deberi; hîc demum agnoscitur in amoribus non se, sed Christum esse. Mox igitur, amori ira successit. Dei nupta lenonibus traditur, mancipiis amoris prostituenda. Sed nequeunt mille manus unam virgunculâ, nequeunt funes & plura bouum juga de loco, minùs de proposito casto dimovere. Ergo sarmenta congeruntur, rogi accenditur. Sed lucet pulchriùs ignibus suis LVCIA. Gladio trajicitur; sed vivit virgo & viros animat, & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem varicinatur. Denique dum iudex in vinculis Romam abducitur capitis damnandus, divino cibo recreata, cælo fidus, ut dixit, inseritur. Sed & tibi illuc adhuc locus est Mariane. Stella & tu es, si virgo es. Fuisisti? Ah! stellam cælo credas decidisse. *Ex Surio.*

Deus semper pater est; amavit nos fœdos, ut ex fœdis faceret pulchros. Erimus pulchri eum amando, qui pulcher est. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa charitas anime est pulchritudo. S. Aug. Tract. 9 in Epist. S. Ioan.

S. IODOCVS CONF. 13. Decembris

NOvam litem audite Mariani, quam IODOCVS Angliæ regis filius germano fratri de regno movit, non uter hoc eriperet, sed uter cederet alteri. Fugiebant novo more non opes
domi-